



DOCET nos sacra scriptura quemadmodum in principio creauerit Deus cœlum & terram : atq; vt sexto die formarit hominem (Adam inquam ac Euam) ad imaginem & similitudinem suam: deinde vt Adamo collocato in terrestri paradiso, prohibuerit, cum interminatione mortis, de ligno scientiæ boni & mali edere. At verò à serpente decepta prima mulier, mandatum trãgressa, de fructu vetito edit: ac virum suum protoplastũ ad edendum illexit: quare statim sub iugũ peccati & mortis traditi sunt: atque è paradiso illo semper virente, & sponte omnia ferente ciecti, in terram execratam, in qua laboribus & sudoribus infinitis vitam transigerent. Adam itaque terram exercuit: Euam vxorem cognouit, quę peperit illi Cain, deinde Abel, qui à fratre Cain per inuidiam occisus est. Gen. 1. 2. 3. & 4. cap.

A D A M annos natus 130. genuit Seth, à quo patres pietate insignes originem traxere. Seth natus annos 105. genuit Enos: hic cœpit inuocare nomen Domini. Enos, annorum 90. genuit Cainam. Cainam annorum 70. genuit Malaleel. Malaleel annorum 65. genuit Iared. Iared annorum 162. genuit Henoch. Henoch annorum 65. genuit Mathusalam. Porrò Henoch annos natus 365. sublatus est à Deo, nec apparuit. Mathusala annorum 187. genuit Lamech. Lamech annorum 182. genuit Noe. Noe annorum 500. genuit Sem, Cham & Iaphet, 100. annis ante diluuium. Erat itaque 600. annorum Noe tempore diluuij. Obiit Adam anno ætatis suæ 930. Vide Gene. ca. 5. & 7.